

Lettera di Guglielmo de Sabran

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Lettera di Guglielmo de Sabran

1328-09-15

Guglielmus da Sabrano comes ac totius Ducatus Calabrie capitaneus generalis, discreto viro notario Nicola tropeano de Geracio amico suo salutem, et dilectionem sinceram.

Veniens ad presentiam nostram nobilis, et egregius vir dominus Guglielmus Ruffus de Sinopolo miles ducalis, et familiaris ac terre Veteris Brutiani dominus sua generali expositione monstravit quod in predicta terra sua Veteris Brutiani ex antiquo consuevisse habere duas mottas, seu duas fortilitias, videlicet Pietramatta Palia, et Motta Persicare de tenimento dicte terre, quibus fortelitiis homines predictae terre Veteris Brutiani ab eo tempore cuius memoria in contrarium non existat, habuerunt, et propter absentiam dominorum dudum contractam a dicta terra homines alumni dicte terre possent de facto invadere ed ledere homines dictorum casalium, cum essent homines factiosi, ideoque supplicavit idem esponens ut dicto exponenti dignavemur de opportuno remedio providere. Nos autem providentes attente et considerantes predictas ipsius exponentis petitiones ut pote annuentes imposterum petentibus non est denegandum assensus, ut predicta possent perficere, quia avius consueverunt habitare. Propter quod volumus, et vobis qua fungimur autoritate mandamus quam primum receptis presentibus ad predicta casalia vos personaliter conferatis, et si ita est, ut est expositum per exponentem predictum curie, et nobis mandetis omnibus ipsius hominibus casalenis sub pena bonorum eorum, ut non intersint in eorum fortilitiis, et si intrare nequiverint, vos una cum predicto domino Guglielmo, vel eius vicario cogatis eos pro captione bonorum eorum et in venditionem eorum, et si opus fuerit

per captionem personarum, et alium legitimum modum per vos melius consultum.

Unde expedienter volumus, et expresse mandamus ut predicta matta reparetur, et in fortilitium sanorum murorum redigatur, et aliis propugnaculis opportunis quod ipsa matta indiget reparari habent per totum mensem proximum presenti duodecima inditione. Datum Rheggii quintodecimo mensis septembris, duodecima inditione.